



RA

TEM

101

101



VEITH

SCRIPTURA

SACRA



1

VETUS


TESTAMENTUM

BT1101

v4

v.l.

007871



1080015137

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

SCRIPTURA
SACRA
CONTRA INCREDULOS

PROPUGNATA

AUCTORE

LAURENTIO VEITH S. I.

SS. THEOLOGIAE DOCTORE
EIVSDEMQUE OLIM IN LYCAEO CATHOLICO AUGUSTANO
PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

*Natus 3^o de Oct.
de 1725 in — Ausburgo donde vivió
á 7^o de Oct. del 1796. Nota del P. Valverde.*

VOLUMEN I.

VETUS TESTAMENTUM

PARS PRIOR

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

TAURINI 1867

EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI

TYPOGRAPHI-BIBLIOPOLAE

FONDO BIBLIOTARIO
VALVERDE Y TELLEZ

V.
239
J.

BT1101
V4
v1



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PRAEFATIO



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

Quamquam christiano saltem cuivis homini circa difficultates, loca obscuriora, vel apparentes, ut vocant, SS. Literarum antilogias satis esse iudicium Ecclesiae Catholicae debeat; quae, ceu *columna et firmamentum veritatis*, in oecumenica Tridentina Synodo libros tam veteris quam novi Testamenti cum omnibus partibus suis, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, recipi iubet, atque in iisdem falli nescium Dei verbum contineri declarat: sunt tamen, proh dolor! hac nostra aetate sane quam multi, qui eiusdem Ecclesiae sinu nati atque educati, Matris optime effata fastu propemodum incredibili contemnant, et neglecta solemnem sponsonis, qua se in baptismo Deo religionis revelatae Auctori ac Ecclesiae dudum obstrinxerunt, fide ad impia Theismi, Naturalismi, Materialismi, etc., castra transfugientes, nescio quae absurda, falsa atque inter se pugnantia in Codice sacro videre sibi videantur.

44581

007871

Igitur operae pretium fore duximus, si exemplo M. Augustini in LL. de Civ. Dei contra paganos, Origenis contra Celsum etc., item clarissimorum inter recentiores Virorum, Huetii Episcopi Abrinchensis, Bergier, Bullet, Nonnotte, Feller, etc. etc., adversus revelatae Religionis hostes ostenderimus, nihil in ss. paginis, quod revera repugnet, nihil quod falsitatem redoleat, absurdi nihil, aut <sup>τῶν ἀδ-
υατῶν</sup> occurrere; idque humanis etiam (quas respuere homines, philosophorum nomine ceu proprio gloriantes, haud oportet) rationibus magnam partem evincere conati fuerimus. Initium autem a PENTATEUCHO MOYSIS ducimus, quem turba incredula et crebrius vulgo et vehementius impugnare consuevit.

Tu quidem, benevole Lector, tenuem opellam nostram aequi bonique consulito tuo, qua potes, commodo utere, ac bene valeto.

VITA

REV. PATRIS

LAURENTII VEITH

SOCIETATIS IESU

NONIS OCTOBRIS ANNO MDCCLXXXVI

AUGUSTAE APUD VINDELICOS

DEFUNCTI

Non ingratum fore arbitramur Bonis omnibus tanti Viri brevem historiam legere. Natus est Augustae Vindelicorum tertio nonas decembris reparatae salutis anno millesimo, septingentesimo, vigesimo quinto honorata et copiosa familia, inter fratres quatuor natu secundus. Horum natu maximus, Ignatius Adamus, vivit adhuc, et fruitur senectute bona, felix sobole numerosa et egregia, coronans mensam nepotibus. Natu minimus, Franciscus de Paula Antonius, perincommode paulo ante fratrem LAURENTIUM defunctus est, fratri, si supervixisset, sine dubio positurus ingens elogium in illo suo opere, quo erudite recenset, et merita laude ornat Scriptores illos, qui ad sua usque tempora civitatem Augustanam editis libris illustrarunt (1); atque hic quidem reliquit filium unicum, spem magni negotii et reipublicae, cuius nutu hoc quaecunque patrui elogium conscribo.

(1) Bibliotheca Augustana undecim tomulis seu alphabetis constans, congesta a FRANCISCO ANTONIO VEITH Augustano, Bibliopola.

LAURENTIUS noster nomen illud, quod tumulo intulit, iam extulerat ex undis illis salutaribus, quibus regeneratus est, vocatus in baptisate LAURENTIUS FRANCISCUS XAVERIUS. Domi dein a Parentibus piissimis nactus educationem similiter piissimam, ad omnem virtutem pulcherrime adolevit. Literas humaniores, et philosophiam Augustae didicit, fuitque, ut scholarum nostrarum tabularia indicant, ornamentum gymnasii primum, deinde et Lycaei. Theologia cum nondum Augustae tunc traderetur, ad eam discendam Dilingam abiit, ubi post primum annum cursus theologici summa laude confectum, in Societatem IESU susceptus est.

Landspergam, ubi locus tunc erat tyrocinii pro Germaniae superioris provincia, venit anno Domini 1744 decimo calendas octobris pridie festi s. Matthaei, de cuius postea Evangelio erat praeclare meriturus. Ibi toto religiosi tyrocinii biennio implevit partes omnes Novitii, non dico boni, sed optimi. Ita narrat ex eius connovitiis unus, vir fide integerrima, quocum vivo familiariter, et habito in eadem domo.

Quae postea, peracto iam tyrocinio, in societate gesserit muneris, supervacaneum est hoc loco recensere. In recentissimo Diario religionis (*Journal der Religion Wahrheit und Literatur*) indicantur omnia accurate et singillatim parte I, pag. 63. Magis ad rem pertinet, quod ea gesserit *excellenter* nullam eorum partem omittendo, nihil quaerendo, nisi ut prodesset, et Dei gloriam promoveret. Qui haec scribo, sum testis ista in re maior omni exceptione. Vidi enim, convixi annis plurimis, fui discipulus, partem fructuum ipse degustavi. Adiri non poterat, quin vel scribentem, vel orantem, vel consulentem libros, vel consulentibus respondentem invenire esset. Non erat liber, quem ille non noverat, imo quem non legerat, non angulus bibliothecae, quem non excusserat. Unde quaerentibus de scriptore quovis promptissime respondebat, deque libri argumento, de eius merito, de orthodoxia vel heterodoxia, de modo probandi etc. notitiam dabat utilissimam, et omnino securam.

Unde mirum non est, quod tanta eruditione ac doctrina vir praeclaros illos libros conscripserit, quos omnes novimus, quosque iterum sollicite recenset Diarium Religionis, quod supra laudavimus (1). Sunt illi in manibus eruditorum, et non egent praeconio meo vel commendatione. Hoc tamen singulare, quod illi solamen ipsi summo Pontifici, Pio VI, in iis calamitatibus tulere, in quas longaevum eius pontificatum conicere Providentiae visum est. Dignatus est Papa optimus etiam scripto testari suum solatium, et fiduciam quam in LAURENTII nostri doctis laboribus reponeret. En Breve geminum, quod, qua caussa et occasione editum sit, contextus indicat. Primum datum est tertio idus februarii 1784 et sic habet:

PIUS PP. VI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Librum tuum, quo sacrilega Edmundi Richerii deliria, teterrimique de ecclesiastica et politica potestate errores dispulsi et reiecti sunt libentissime accepimus. Quoniam assiduis christianae reipublicae curis distinemur, totum adhuc librum, ut in votis erat, legere non potuimus. Sed eum rectissime sese habere, ac religione, pietate, doctrinaque tua dignum omnino esse arbitramur. Quare macte animo, ac perge hisce studiis de catholica veritate, et Sede apostolica bene optimeque mereri. Non exigua enim nomini tuo gloria praesto est in terris, et uberrima quoque in coelis merces laboribus tuis non deerit. Nos autem tui semper memores, semperque iustos meritorum tuorum existimatores invenies. Qua de re ut libros vetitos prohibitosque legere, neque uno excepto, possis quoscumque velis, amplam tibi, dilecte

(1) Sunt, primo: *Dissertatio theologica de primatu et infallibilitate Romani Pontificis*. — Secundo: *Edmundi Richerii systema de ecclesiastica et politica potestate singulari dissertatione confutatum*. — Tertio: *Dissertatio de gemina delectatione coelesti ac terrena relative victrice*. — Quarto: *Monita et regulae, Scripturam legere volentibus, utiles ac necessariae*. — Quinto: *Scriptura sacra contra Incredulos propugnata*, partes novem.

fili, potestatem facimus, quod bono religionis cessurum speramus, et apostolicam benedictionem peramanter, atque ex animo impertimur.

Datis Romae apud S. Petrum III idus februarias MDCCLXXXIV Pontificatus Nostri anno nono.

DOMINICUS NARDINIUS
a latinis Epistolis Sanctissimi.

Alterius dati septimo calendas iunias 1790 tenor est qui sequitur:

PIUS PP. VI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Gratum nobis accidit opus a te inscriptum — Pentateuchus Moysis contra incredulos propugnatus, — quae sane elucubratio in publicam lucem data, religionis confirmat studium, quo non solum iuventutem sacris disciplinis pergis instituere, sed facilem cunctis aditum praebere contendis ad configendas impiorum hominum in sacros Codices fallacias. Quae animo nostro inest de te, deque tuis in isto catholico Lycaeo asseclis benemerendi voluntas, eam iamdiu compertam habes, ac postremis literis tuis pietatis plenissimis effecisti ardentiorum; interim paterni animi nostri pignus ad te mittimus certissimum, apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, cunctisque auditoribus tuis intimo cordis affectu, ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum VII Calendas iunias MDCCXC Pontificatus nostri anno decimosexto.

CALIXTUS MARINIUS
a latinis Sanctissimi Epistolis.

Has literas romanas sibi perhonorificas, dissimulasset fortasse R. P. LAURENTII modestia, nisi aliunde de illis innotuisset, et ita locus eas occultandi iam non superesset. Erat enim vir probissimus, unius gloriae divinae studiosus, sanctior adhuc, quam

doctior. Non est virtutum vel una, a qua ille ornamentum non acceperat.

HUMILITATE eminebat. Tota domo nostra (per DEI gratiam non penitus illiterata) non erat illo doctior, sed neque docilior. Quod scribo, scribo merito cum aliquo rubore meo. Fui ego annos septendecim eius in cathedra theologica Augustana socius antehac in Academia Ingolstadiensis quadriennio eius discipulus, aetate iunior, eruditione longe inferior, tamen frequenter accidit, ut antequam scholam adiret, ad meum cubiculum sollicite accurreret, eaque praelegeret, quae erat mox in schola discipulis propositurus. Si ergo subinde ego dixeram, mihi aliter videri; placere mihi oppositum prae illo, quod mihi praelegeret; ille non modo nihil excusare, sed dolere potius, et conqueri, quod haec iam tradidisset annis prioribus, ac describenda aliis dedisset; rogare insuper, ut, quae mutanda dixeram, vel ipse sibi scriberem, vel saltem calamo suo scribenda dictarem.

CARITAS similiter virtus eius erat characteristicam. Loquor primum de illa caritate, de qua teste s. Hieronymo (1) dilectus Domini discipulus olim dixerat: *Praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.* Non memini ego, tametsi, ut iam dicebam, convixerim ei annis plurimis, ex ore eius audisse unum saltem verbum, quod famam proximi minueret, aut quovis modo caritatem laederet! E contrario memini, semper illum in excusandis aliis et industrium fuisse, et ingeniosum: aliquando etiam ridiculum fieri maluisse, quam proximum destituere patrocinio suo. Irasci omnino non posse videbatur, nisi sibi et iis, quibus etiam DEUS irascitur, quibus, peccatum est non irasci.

Pauperes in R. P. LAURENTIO perdidere plurimum. Noverant illi sane viri viscera. Hinc ad eum veniebant veluti ex conducto, et petendi titulos afferebant varios. Ipse autem dabat omnibus, ut poterat, liberaliter, etiam liberalius, quam subinde mereba-

(1) In Commentar. in epist. ad Galat.

tur ficta inopia. At ille animoolvebat, quod dicit s. Ambrosius: *Non eadem cautio receptori mandatur hospitii, ne, dum dignus hospes eligitur, hospitalitas ipsa minuatur* (1).

Ubi caritas proximi est, abesse non potest caritas Dei. Quanta hæc in R. P. LAURENTIO fuerit, loquuntur ipsa opera. Non laborabat nisi Deo, et eius Ecclesiae, et eius in terris Vicario, et eius gratiae, et eius verbo contra incredulos defendendo. Inde natum est et illud studium orationis, quod in eo mirati sumus. Oravit quotidie horas multas, et quod maius est, oravit intensissime; intentius, fateor, quam ferret et corporis et sanitatis conditio. Creditus est ab omnibus nimia actuum, maxime Theologorum, intensione sibi mortem accelerasse. Sed excusat illa virtus, quam habentibus teste Paulo *omnia cooperantur in bonum* (2).

Inde natae sunt et ceterae virtutes omnes: puta: *Contemptus rerum mundanarum*. Habebat vilissime: erant in cubiculo omnia misera, sella lacera, mensa incommoda, supellex modicissima, nudi parietes, ornamentum nullum, nisi incola. PATIENTIA item, qua crucem ferebat annosam simul, et plus quam dici possit, poenalem. Intelligo *scrupulos*, quos visus est ad quemlibet fere passum incurrere. Equidem quamdiu eum novimus, anxium semper novimus et scrupulosum. Tamen sub extremos vitae annos hoc purgatorium potissimum in purissimam animam desaevit. Commiserationem movebat omnibus, qui videbant vel ad aram operantem, vel Sacramentum poenitentiae ministrantem. Timebat etiam ibi, ubi alii exemplum capiebant. AMOR ITEM TENERIMUS IN MATREM DEI, quam una saltem, quod scio, corona in dies singulos demerebatur. Ultimis vitae diebus cum id non posset solus, faciebat cum socio. Tandem voce articulata fere penitus destitutus, MARIAE tamen ac IESU pretiosa nomina, ut poterat, et invocabat adhuc et tandem in hoc nobili conatu defecit.

Inde denique et nata est VIGILANTIA illa, quam Christus Dominus tam graviter in evangelio inculcavit, qua paratos esse nos

(1) L. 6 in cap. 9 Luc.

(2) *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Rom. 8, 28.

iubet ad adventum Domini, quacunque hora venerit, seu *sero*, seu *media nocte*, seu *galli cantu*, seu *mane* (1). Inventae sunt post eius mortem schedulae et chartarum laciniae, viles, fateor, et hominum oculis contemtae, sed Deo et Angelis pretiosae, quibus singulae minutiae accurate et ad scrupulum continebantur: puta, quid dedisset, aut accepisset mutuo; quos cubiculi libros non liceret tangere, nisi habentibus facultatem, qua pecunia, quo fine empti essent. Aliquae monebant de quorundam scriptorum fasciculis ab amico sibi datis: verum *dubito*, aiebat, *an donaverit, an solum commodaverit*. Una illarum anxia erat, ne forte ab alio peteretur, quod ille iam reddidisset. *Librum*, ait *Theologicum NN. commodavi discipulo huic meo NN. quem ille iam iterum reddidit. Sed ego schedam iam non invenio, quam libri accepti testem antea acceperam. Hanc invenire si forte contigerit, rogo inventorem, ab NN. nihil amplius ut exigatur*.

Ignoscant mihi lectores, quod rebus, ut videri possit, tam parvis immorer. Hae parvae res ad vivum exhibent magnam illam vigilantiam, qua se quovis momento ad exitum piissima haec anima comparaverat. Et ego pro parte mea fateor, si mihi fieret optio, vel praesciendi horam exitus mei, vel ignorandi illam quidem, attamen eadem exquisita praeparatione ac vigilantia illam ad-eundi, me hoc posterius fortasse praepositurum: illud prius plus habet *Insoliti*, et gratiae gratis datae; hoc posterius plus *Meriti* et gratiae gratum facientis.

Sic igitur praeparato R. P. Laurentio, et iam *praecinctos lumbos habenti* supervenit infirmitas novissima. Fuit illa brevis, aliquot solummodo dierum, nec initio credebatur periculosa. Sed brevi patuit, penetrasse malum intimius, quam ut exhaustae et fractae vires eiicerent. Quare ultimis morientium Sacramentis munitus, modicum, quod supererat temporis, dabat actibus piis, et quo purior hinc demigraret, sacramentali absolutione expiari saepius petiit. Locupletes ac pii consanguinei varia eidem fomenta offe-

(1) Marc. 15, 36.